

Consequencia probatur; quia si illud fecit, ubi necessitas non erat conservandi matris pudorem, a fortiori fecit hoc, ubi talis urgebat necessitas. Argumentum est S. Bernardi serm. 1. in die S. Paschæ: *Hunc lapidem magnum valde, de quo mulieres illæ devotæ invicem quærebantur, facta jam resurrectione Dominica: Revolvit Angelus, & resedit super eum, sicut scriptum est. Constat proinde clauso exiisse tumulo reditum corpus, quod clauso Virginis utero natum processit in vitam, & ad discipulos clausis introivit januis in conclavi. Sed est locus unde clausis noluit procedere januis, carcer utique gehennalis. Confregit siquidem ferreos vestes, repagula universa contrivit, ut libere suos educeret, quos redemerat de manu inimici: & planis egrederentur portis agmina Sanctorum dealbatorum, qui laverunt stolas suas, & candidas eas fecerunt in sanguine Agni. III. Christus ingressus est cœnaculum clausis januis: ergo egressus est ex matris utero, illo non aperto. Antecedens patet ex Evangelio. Consequencia probatur; quia a fortiori, ut dictum est illud facere debebat, ut matris integritatem servaret. Ratio subministratur a Smaragdo Abbate ad Evangelium de festo 3. Paschæ: *Quid mirum, si clausis januis post resurrectionem suam, in æternum jam victurus intravit, qui moriturus veniens, non aperto Virginis utero exivit? IV. Si Christus non per naturalem viam, qua ceteri homines nascuntur, de utero Virginis exivisset, non potuisset dici verus natus, nec ejus nativitas fuisset vera nativitas; sed hoc est falsum: ergo &c. Probatur minor. Deus non tantum voluit fieri homo, sed etiam filius hominis, & voluit quoque, Mariam esse veram sui matrem; sed hoc non fuisset verum nisi Christi partus esset verus partus, & ejus nativitas vera nativitas. Quod asserit Nazianzenus epist. 3. ad Cleodionum dicens: *Christum divino modo genitum esse, quia sine opera viri, & humano, quia juxta pariendi consuetudinem. Et orat. 16. Voluisse Deum, non tantum naturam, sed etiam nativitatem nostram honorare, & ideo utramque assumpsisse cum omni proprietate, absque macula tamen, vel indecentia, prout Deum decebat. V. Quia, ut ait Suarez, quidquid aliud dicitur, sine fundamento, & necessitate dicitur; præsertim transitus ab extremo in extremum sine medio, quod majus esset miraculum, & rem redderet obscuriorem, & difficiliorem; & aliam viam comminisci, est contra nativitatis***

rationem, ut dictum est. VI. Quia sine hoc modo, qui a nobis asseritur, violatus esset pudor Virginis, & integritas ejus læsa, quod non est dicendum. Hoc autem inculcat S. Ildephonus, Episcopus Toletanus serm. de parturit, ac purificat. B. Mariæ: *Clausæ igitur non diceatur, si in aliquo læsa esset ejus integritas: sed in nullo est violatus pudor Virginis, nec fons in aliquo referatus. Præculdubio patet sensus, quia clauso utero ad nos venit, sicut januis clausis ingressus est ad discipulos. Si quidem aspectus discipulorum utrumque tunc probavit, scilicet, quod & fores clausæ essent, & quod Dominus per easdem introiens, coram præsens absaret. Sic & fides nostra utrumque de Christo certissimum tenet, quod & pervia fuerit ejus integritas, nascente Domino ex ea, & tamen uterus non fuerit referatus. Alioquin quomodo clausum dici potest permansisse, quod violatum est?* Opponunt I. Male inferitur ex eo, quod Christus clauso sepulchro resurrexit, & clausis januis, ad discipulos intravit, ipsum etiam e clauso matris utero exivisse; quia post resurrectionem corpus erat incorruptibile, & immortale, adeoque exilius ad penetrandum, quo veller, quam esset prius antequam resurgeret. II. Non est necesse, ut salvetur Mariæ Virginitas dicere, quod Christus ex ejus utero per penetrationem exierit; quum possit dici, quod aperta sit Virginis vulva, quando Christus exivit, & deinde fuerit denuo clausa; & hoc pacto non esset deperdita virginitas. III. Penetratio illa, quam nos asserimus, est omnino intelligibilis: ergo male nos explicamus per illam exitum Christi de utero Matris suæ. IV. Si Christus non exivisset de utero matris suæ eo modo, quo exeunt ceteri infantes, potuisset dici, quod aut fuisset phantasma, aut per uterum transivisset, sicut aqua per alveum, aut per canalem; sed hæc fuit hæresis Manichæorum: ergo &c. V. Augustinus serm. 186. de tempore, qui est tertius de Ascensione, post medium, hæc scribit: *Ille etiam error valde fugiendus est, qui impie asserit, quod B. Maria solum Deum peperit, eo quod Salvator noster cœlestem, nescio quam carnem intra viscera materna perfererit, & ita transferit per Virginis uterum, quasi per corpus alienum. Si autem B. Virgo non peperisset more aliarum mulierum, Christus per corpus ipsius non transivisset naturaliter, ac proinde non tanquam per proprium matris corpus, sed tanquam per corpus alic-*